



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 127. Carnutensis Vice-Dominus Bastillæ inclusus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI.
A.C 1560.

unde comperto epistolæ tenore Agen-
nensis Senescallus, ac Regii Satellitii
Præses Vice - Dominum in suis ædibus
primo capere, ac demum die vigesima
septima Mensis Augusti in carceres,
quos Bastilliam vocant, abducere jus-
sus est.

§. CXXVII.

*Carnutensis Vice-Dominus Bastillie
inclusus.*

Postmodum Sagas non modo ea, quæ *Thuan. l. c.*
comperta habuit, sed etiam illa, quæ *Mezeray*
de Navarræ Rege, & Condæo Princi- *abrege chro.*
pe conjiciebat, libere aperuit, dixitque, *t. 5. p. 41.*
quod illi cum magna militum manu ad
visendum Regem profectioem in au-
lam adornarent, & transitus obtentu Pi-
ctavium, Cæsarodunum, Aurelianum, fi-
das sibi, & situ munitas, urbes occu-
parent: Montmorantius vero Conne-
stabilis Lutetiam Parisiorum, cui urbi
ejus filius præest, Picardiam per Senar-
pontium, & Buchauanium, Armori-
cam per Joannem Brossium Stampen-
sem, Provinciam denique per Claudium
Sabaudum Tendæ Comitem Sororium,
ceterasque Regni Provincias, & urbes
per clientes, amicosve suos recepturus
esset, eo consilio, ut hi omnes Gui-
fianis sede dejectis publicam liberta-
tem assererent, ac Regnum firmarent:

H h 4 quem

Sæcul. XVI.
A.C. 1560. quem in finem omnes, nisi loco cedant, nobiles, item non eadem sentientes vi, armisque coacturi sunt. His quoque addebat, quod Aurelianensis urbs ad id in belli aciem, ac confugii locum fuisset delecta.

§. CXXVIII.

Lugduni expugnatio irrito successu tentata.

Thuan. 2.6. Quarto post captum Sagam die consilium de Lugdunensi urbe repentino impetu obruenda detegebatur. Hujus expeditionis cura demandata erat Francisco Malinio juniore ex Ferrerorum genere orto, qui Navarræ Regis obsequio addictus certe Lugduno potitus fuisset, nisi Achonius Savignii Cœnobii Abbas, qui absente Santandreaño Marescallo ejus Avunculo huic urbi præerat, tempestive conspirationem detexisset, civesque ad arma convolare jussisset: Sub idem tempus Gondrinio, & Maugirono in urbem accersitis Malinius sese recipere compellebatur. Santandreañus vero hujus conjurationis secreta detegere a Guisii jussu nil certi comperire poterat, quamvis plusquam quinquaginta viros conspirationis socios, ac Navarræ Regi, & Condæo Principi oppido addictos extremo supplicio affici præcepisset, atque inter ceteros